

EXHORTATIONES COLONIENSES

ANNO 1567, MENSE MARTIO

Praefatio

I. – MONUMENTUM est *ineditum*, praeter initium (fol. 112r-113v) de vita S. Ignatii et approbatione Societatis, quod editum fuit a C. DE DALMASES in MI, *F. narr.* II, 402-407. Item nonnulla fragmenta, ut de oratione dominica (f. 115v), de proprietate oboedientiae in Societate (f. 115v) edita fuerunt a M. NICOLAU in *Jer. Nadal* p. 163, 400, 425.

II. – AUCTORES: EN, IV, 12, 5^v; MI, *F. narr.* II, 400-401; M. NICOLAU, *Los escritos espirituales de J. Nadal*: Arch. Teól. Granad. 5 (1942) 57-58; IDEM, *Jer. Nadal* p. 108.

III. – TEXTUS invenitur in ARSI, *Instit.* 24a, olim *Miscel. de reg. S. I.*, t. I. Est textus apographus, exceptus quidem a P. Petro Busaeo¹; scriptio vero ipsa, sat constans et nitida, non est ipsius Busaei, sed alius. Sic apparet ex comparatione cum aliis documentis manu propria Busaei exaratis². In initio tamen (fol. 112r-113r) Natalis manus multa correxit vel addidit, illa scilicet quae S. Ignatii vitam propius tangunt. Non habentur hic exhortationes distributae per dies, sed compendium earum, ut elucet ex ipso textu, divisum pro ratione rerum dicendarum, quae titulis a collectore positus significantur.

Hic textus apographus est etiam incompletus, ut apparet ex eo quod sensus non bene clauditur. Sed pauca sane deesse videntur, cum iam in praecedentibus foliis ms. fere omnia puncta tangantur quae Natalis solebat explicare in suis exhortationibus. Hae enim exhortationes Coloniae habitae sequuntur eum modum eamque rationem quibus Natalis alibi exponebat suam «theologiam» vitae religiosae et instituti Societatis.

IV. – TEMPUS ET OCCASIO HISTORICA. Ex titulo ipso exhortationum clare elucet annus (1567) et mensis (martius) quibus prolatae et verisimiliter etiam exaratae sunt. Pertinent igitur ad tempus

¹ Qui haec collegit, ut scribit manu propria ipse Natalis in titulo. De Busaeo loquimur infra, in annot. 3, capitis I, textus editi.

² Cf. formula professionis, 6 augusti 1568 (ms. *Germ.* I, fol. 48) et epist. ad P. Mercurianum (ms. *Germ.* 135, I, 217).

visitationis Natalis per provinciam Rhenanam. S. Franciscus Borgia, electus Generalis in 2^a Congregatione, die 2 iulii 1565³, cogitavit de continuanda visitatione provinciarum Germaniae ab ipso P. Natali, qui ante Congregationem generalem 2^{am} illas visitabat. Natalis, a Cardinali Augustano Ottone Truchses de Waldburg expeditus⁴ et a Summo Pontifice missus (una cum P. Ledesma) socius Cardinalis Commendone Legati ad comitia imperialia⁵, missus quoque est a S. Francisco Borgia visitator provinciarum Germaniae superioris et inferioris, Austriae et Rheni, litteris patentibus diei 6 februarii 1566⁶ et instructionibus⁷. Inspectis diversis collegiis et domibus Germaniae superioris, Austriae et Bohemiae, impeditus Poloniae socios invisere, Rhenanam provinciam visitavit⁸ et tandem Coloniam venit 24 februarii 1567 ibique mansit usque ad 2 aprilis eiusdem anni⁹; quo die prosecutus est visitationem, arripiens iter Augustam Trevirorum, postea Flandriam et duas provincias Galliae perlustraturus¹⁰.

In collegio Coloniensi Natalis secutus est ordinem consuetum suarum visitationum. Ipse scribens S. Francisco Borgiae (1 aprilis 1567) ait: « In questo collegio de Colonia si sono fatte tutte le cose ordinarie, examini, confessioni generali et exhortationi: non s'hano renovato li voti, perchè s'era già fatto. Hasi risposto, Padre, a molte cose, come la P. V. vederà per le copie dil tutto che si mandano con questa. Si mandano anchora alchune cose di devotione che ho rinovato et fatte di nuovo . . . »¹¹. Natalis prosequitur describens difficultates quibus collegium Coloniense premebatur, et solutiones quas ipse adhibuit vel proponebat.

Consonant litterae annuae (1566-1567) collegii, quae felicem successum visitationis testantur: « Rev. p. Hieronymus Natalis in principio Martii ad nos venit et mansit usque ad mensem Aprilem, a quo multa bona audivimus, vidimus ac in scriptis recepimus. Omnes examinavit, et singulorum confessiones audivit. Primus celebravit officium feriae sextae in septimana sancta in nostro domestico sacello, fecimusque ibidem sepulchrum dominicum et per vices nocte et interdium quatuor legerunt psalterium, quod fratribus et studiosis nostris excitamentum fuit devotionis. Singularem charitatem collegio exhibuit et multa in meliorem modum reformavit. Accuratus nunc domus seclusae, ut nulli pateat transitus. Novitiuum praefectum et exercitia habent et bene proficiunt »¹². Prae-

³ *Instit. S.I.* II, 193; EN, III, 852.

⁴ EN, III, 2; cf. II, 845-850.

⁵ EN, III, 2.

⁶ EN, III, 1-2.

⁷ EN, III, 3-9.

⁸ Cf. EN, III, p. xv-xx.

⁹ EN, III, 397, 422, 431.

¹⁰ Cf. EN, III, p. xx-xxii.

¹¹ EN, III, 427.

¹² J. HANSEN, *Rheinische Akten zur Geschichte des Jesuitenordens (1542-1582)*, Bonn 1896, p. 545. De fructu visitationis Natalis etiam DURR, *Geschichte der Jesuiten* I, 596.

scripta Visitoris relate ad personas servantur in ARSI, *Germ.* 131, fol. 12-14, sub titulo *De personis Collegii Coloniensis*.

V. - RATIO EDITIONIS. Litteris *cursivis* damus quae Natalis propria manu castigavit vel addidit. Ea sunt, ut diximus, quae initio inveniuntur et spectant ad vitam S. Ignatii. Apparatum criticum cum correctionibus Natalis pro more facimus. In parte olim edita in *F. narr.* II, 402-407, ne diversitas pariat confusionem, retinemus divisionem paragraphorum eandem et idem summarium; in textu edendo pauca aliter legimus.

Textus

[f. 112r]

†

Ihs

HAEC DICTA SUNT A R. P. NATALI

IN SUIS EXHORTATIONIBUS IN COLLEGIO COLONIENSI¹,

anno 1567, mense martio²; *collecta vero sunt a P. Busaeo*³.

⁴ collecta — Busaeo *add. manu Natalis*

¹ Ad finem visitationis huius collegii, hoc iudicium de eo ferebat Natalis scribens ad S. Franciscum Borgiam: « Questo collegio, Padre, è molto utile, et molto povero, et ho per certo che Iddio specialmente concorre con esso et co'l rettor suo. Et realmente, come mi son maravegliato molte volte del collegio de Roma, come si sustenta, così ancora di questo mi maraveglia; et credo, Padre, che c'è qualche concorso speciale del signore Iddio, per il gran frutto che s'è fatto in questa città et provincia, et s'aspetta maggiore con la divina gratia, essendo che si fa ogni cosa puramente per aiutar' l'anime et servir' il fin del nostro istituto. Sono già adesso li nostri ben visti da molti nella città: sentono assai confessioni de persone principali, specialmente di done: hanno grand' existimatione per tutte le provincie vicine: è gran frequentia sempre di scholari: sono continui al manco più di 400, et spesse volte più di 500, et etiamdio 600, che è molto, essendo altri collegii et particolari schole molte in Colonia. Et *tamen* hanno molte cose difficili o contrarie ». EN, III, 427-428. Et prosequitur Natalis describens vexationes et tribulationes quibus collegium premebatur.

² Natalis visitaturus pervenit Coloniam die 24 februarii 1567, qua ipsa die dedit litteras ad S. Franciscum Borgiam (EN, III, 397). Ad finem martii mansit quoque Coloniae, ne cogeretur itinerari in hebdomada maiore et praesertim Feria V in Coena Domini. Sic factum est ut Coloniae versaretur usque ad feriam IV post Pascha, et hac die 2 aprilis 1567 prosecutus est visitationem versus Augustam Trevirorum. EN, III, 422, 431, 438.

³ « P. Petrus Busaeus [Buys], neomagiensis [propinquus S. Petri Canisii] Licentiatu s. Theologiae, Magister est novitiorum et catechismum docet

5 DE SOCIETATIS INSTITUTO, FINE ET MEDIIS, ET AD FINEM
CONSEQUENDUM ADIUVANTIBUS CAUSSIIS.

[CAPUT I. — DE SOCIETATIS INSTITUTO]

1. *Initium Societatis.* — 2. *Non est novum institutum religionum.* — 3. *Ignatii vocatio.* — 4-5. *Eius conversio.* — 6. *Via paenitentiae.* — 7. *Tentationes.* — 8. *Eximia illustratio.* — 9. *Conseribit Exercitia, venit Hierosolymam, studiis dat operam.* — 10-11. *Ignatii probationes et Societatis confirmationes quae ad Concilium Tridentinum.*

[1] Initium Societatis est gratia, bonitas et voluntas Dei, quod vocaverit P. Ignatium, et per illum Societatem.

10 [2] Non est autem novum institutum religionis neque inusitatum⁴. Iam enim a mundi initio fuerunt religiosi, omnique aetate vocavit Deus aliquos ad religiose vivendum. Ante diluvium fuit Adam, Abel, Enos⁵, Enoch⁶, Noë, erat natio filiorum Dei⁷; post

⁹ novum del. hoc. || 9-12 fuit — natio in marg. | 9 fuit corr. ex erant | 10 Noe sup. lin., corr. ex et | || 12 filiorum corr. ex filii

superiores tres classes: Physicos, Logicos et Rhetores. . . » Sic ex ARSI, *Germ. 131*, fol. 17r ex quodam catalogo ubi *Nomina Patrum et Fratrum qui in collegio Coloniensi actu praesentes sunt primo septembris anno 1567*. Visitor haec de P. Busaeo praescribit, ubi relinquit ordinationes *De personis Collegii Coloniensis*: « P. Petrus Busaeus poterit ter in septimana docere domi in schola Theologiam scholasticam, et puto commodissimum fore, si Magistrum Sententiarum explicet, et in eius explicatione utatur doctrina Sancti Thomae, et diligenter se exercent in scholasticis. Nec erit necessum ut legat novitiis, nec ut habeat exhortationem 6 feria quae solet haberi. Illas lectiones habebit P. Martinus [Ambsterdamiensis, ut legitur eodem folio]. Exhortationes vero P. Arnoldus Havensius, aut alius. Ea enim ratione exercebuntur. Erit confessorius Rectoris, et animadvertat Rector ne gravetur laboribus, ne incidat in laborem capitis, ut solet ». Ms. *Germ. 131*, fol. 12v. De Petro Busaeo breviter et abunde, praesertim de eius labore catechistico ex libris Canisii, scribit BRAUNSBERGER I, 64 in annotat. In Praefatione ad has *Exh. Colon.* iam diximus, ubi de textu disserebamus (III), Busaeum excepisse hoc quasi compendium exhortationum, non vero exarasse.

⁴ Natalis conatur invenire in fontibus theologicis, scilicet, in Sacra Scriptura et Patribus, indicia sive initia vitae religiosae, iam in V.T. Id quod evolvit in *Exh. 2 Conim.* n. 12-15, p. 51-52; *Exh. 1 Compl.* n. 13*a-13*c; *Dialog. I*, n. 27-62. De eius « theologia vitae religiosae » cf., sis, *Jer. Nadal* p. 138-151.

⁵ Filius Seth, quem vocavit Enos; « iste coepit invocare nomen Domini » Gen. 4, 26.

⁶ Henoc, filius Iared, ex progenie Enos et Seth (Gen. 5, 18). « Ambula-

erat Abraham, Melchisedech, *illius familia, huius mystae*⁸; *Iacob, Isaac, Moses, prophetae, levitae, nazaraei*⁹, *rechabitae*¹⁰, *filiii prophetarum*¹¹, quos Hieronymus appellat monachos¹². Et hi quidem omnes eam religiosi instituti partem observarunt, quam dispensatio temporum et eorum vocatio et vitae status requirebant¹³. Postea venit Christus qui consuluit statum religionis¹⁴, promisitque se singularem gratiam daturum iis, qui ipsum hoc modo sequerentur. Institutum igitur nostrum autorem habuit Christum¹⁵.

[3] Quod fecit Deus in aliis institutis, etiam hic: ut semper unum primum vocaret. Vocat vero tales primarios viros oportuno tempore et commodo; sicut Dominicum et Franciscum eo tempore cum essent multi haeretici. Adversus enim haereticos *albigenses* 12 annos concionatus est D. Dominicus, antequam eius Ordo approbaretur¹⁶. Similiter in omnibus fere provinciis pullulaverant hae-

13-17 illius — requirebant in marg. et in ima pag., corr. ex et Hieronymus filios prophetarum vocat monachos. Moyses erat religiosus. Levitae, filii Rechab, etc. erant etiam ex parte religiosi || 24 enim sup. lin. | albigenses in marg.

vit Henoch cum Deo » (Gen. 5, 22; cf. v. 24), « et non apparuit, quia tulit eum Deus » (Gen. 5, 24; Eccli. 49, 16). De eius indole prophetica et religiosa, Hebr. 11, 5; Apoc. 11, 3 sq.

⁷ Gen. 6, 2. Cf. F. DE HUMMELAUER, *Commentarius in Genesim*, p. 211 sq.; F. VIGOUROUX, *Dict. de la Bible*, art. « Fils de Dieu ».

⁸ Cf. PS. DIONYSIUS AREOP., *De coelesti hierar.* c. 9: MG 3, 262.

⁹ Sic vocati ex voce hebraica *nazar* (separare), erant qui iuxta Num. 6, 1-21 segregati ab aliis et a certis usibus et potibus communibus, Deo consecrabantur ritibus qui describuntur in Num. c. 6. Nazaraei fuerunt Samson (Judic. 13, 5) Samuel (1 Reg. 1, 11) etc. Cf. VIGOUROUX, *Dict. de la Bible*, art. *Nazaréat*; *Exh. 1 Compl.* n. 13* c, annot. 27.

¹⁰ Cf. Ier. c. 35 qui laude loquitur de his rechabitis, qui ad modum congregationis religiosae vivebant, cuius origo erat a Ionadab, filio Rechab; praeccepta habebant, ne vinum biberent nec vineam plantarent nec domos aedificarent. Cf. *Exh. 1 Compl.* n. 13* c, annot. 26.

¹¹ Cf. 4 Reg. 2, 3. 7. 15; 4, 38; 5, 22; 6, 1; 9, 1.

¹² *Epist. 58* (alias 13), ad Paulinum, n. 5: CSEL 54, 534; ML 22, 583; *Epist. 125* (alias 4), ad Rusticum, n. 7: CSEL 56, 125; ML 22, 1076.

¹³ Cf. *Dialog. I*, n. 27-43.

¹⁴ *Dialog. I*, n. 50 sq., 83 sq.

¹⁵ « Status religiosus secundum se et quoad substantiam suam ab ipso Christo Domino immediate traditus et institutus fuit; atque ita dici potest esse de iure divino, non praecipiente, sed consulente. Haec est sententia omnium catholicorum recte sentientium ». SUÁREZ, *De statu religioso* lib. 3, c. 2, n. 3: *Opera* (Vivès) XV, 231.

¹⁶ Approbatio Ordinis Praedicatorum facta est ab Honorio III, 22 decembris 1216. De historia approbationis cf. H. VICAIRE, *Storia di S. Domenico* c. 11; M. HEIMBUCHER, *Die Orden* 3 I (1933), p. 475 sq.

reses aliae, adversus quas S. Francisci Ordo et D. Dominici egregie pugnauerunt. Sic et P. N. Ignatium eodem fere anno vocavit, quo reliquit cucullam Lutherus et nepharias nuptias contraxit¹⁷; eodem scilicet anno 22 edidit pestilentissimos libros in Pathmo sua¹⁸. Unde intelligere possumus peculiariter excitatam Societatem ad iuvandam Ecclesiam tum in Germania, tum in India, etc. Eodem itaque anno, quo fuit Lutherus a daemone vocatus, Pater Ignatius a Deo¹⁹.

[4] Nunc de modo quo fuit P. Ignatius vocatus agamus. In cuius actis [f. 112v] tota vita Societatis continetur ut in principiis et exprimitur²⁰. Erat igitur P. Ignatius vir nobilis et militaris, virtute civili atque morali praeditus. Nihil minus cogitabat quam de pietate, praesertim de religione. Quum autem oppugnaretur quaedam arx in Hispania et esset P. Ignatius inter primos propugnatores fortissimeque pugnaret, missili globo alterum est ei confractum crus, alterum gravissime vulneratum. Ex quibus vulneribus, quum periculose admodum decumberet, evenit ut in pervigilio S. Petri et Pauli medicorum hoc esset pronosticon: si ad mediam noctem non melius habeat, deploratus est; sin melius, brevi sanandus. Melius habuit, brevi est sanatus²¹.

[5] Hic vero, quum ocii [im]patiens petiit librum prophanum,

28 fere sup. lin. || 29 nepharias in marg. || 30 scilicet sup. lin. || 33 itaque sup. lin. || 34 Ignatius sup. lin. || 36-37 ut in principiis et exprimitur in marg. || 37 P. Ignatius vir nobilis et in marg., corr. ex nunc aut vir | militaris del. et || 39 praesertim de religione sup. lin. || 39-51 Quum autem — legeret in marg. et in ima pag., corr. ex iis quae cancellavit in textu: Vulneratus in crure, pridie D. Petri et Pauli graviter affligebatur. Hic de prognostico medicorum et quod ante mediam noctem coeperit melius habere. Hic de gestis bellicis legendis, quibus assuetus erat; de Vita Christi, a Ludolpho Carthusiano descripta. Item Flos Sanctorum dicebatur alter liber. Uterque hispanice conscriptus. Ex horum lectione. | 40 et esset corr. ex erat | 44 nostem ms. || 47 post ocii charta consumpta, legitur tantum patiens

¹⁷ Apostasia Lutheri fuit anno 1521 post conventum Wormatiensem illius anni; nuptias vero cum Catharina de Bora contraxit 13 iunii 1525. Cf. H. GRISAR, *Luther* I, 378 sq. 470 sq.. Vide *Dialog. I*, n. 3-4 et annot. ibi positas.

¹⁸ Lutherus mansit in castello Wartburg usque ad 1 martii 1522 ibique scripsit. Cf. *Dialog. I*, n. 4, annot. 5. S. Ignatius die 24 martii 1522 vigiliam habuit apud Montem Serratam coram imagine B. V. Mariae.

¹⁹ Haec antithesis inter S. Ignatium et Lutherum, iam alias proposita fuit a Natali, v. gr. *Exh. 4 Conim.* n. 10, p. 74; *Exh. 3 Compl.* n. 78 * c; *Dialog. II*, n. 6. Vide in *Exh. 3 Compl.* n. 78 * c, annot. 31 g.

²⁰ Saepe Natalis in hunc sensum, quasi in vita Ignatii et fundatorum Ordinis, causa exemplaris perfectionis novi instituti proponatur. Cf. *Jer. Nadal* p. 148-151.

²¹ *Acta P. Ignatii* n. 1-3: MI, *F. narr.* I, 364-368.

quales solet legere, is repertus domi non est. Huius loco illi exhibuerunt duos, alterum Vitam Christi ex Chartusiano, et librum qui Flos Sanctorum inscribitur, ubi narrantur gesta Sanctorum, utrumque hispanice, nam latine nesciebat. Hos libros quum legeret, coepit agitari in animo variis cogitationibus, et partim agebatur animus eius ad vanitates mundi sectandas, partim cogitabat de arcta via et Christi ac Sanctorum imitatione. Tum subibat affectus: « Hoc fecit Franciscus? cur non et ego? ». Discrimen tamen inter utramque cogitationem contrarium erat: quod prior cogitatio nihil adferebat consolationis, tandem scilicet contraria, etc.; posterior vero plurimum roboris, laetitiae, consolationis²². Inde collegit hanc esse spiritus Domini, illam vero daemonis, et cogitavit: « Haec est vocatio Dei ». Atque haec fuit prima motio animi eius ad religionem: ut in vita imitaretur et sequeretur Christum et Sanctos, mundo vero renuntiaret. Eodem modo nos ad Societatem fere ducimur, cogitando miseras mundi, et pericula, etc.; iocunditatem vero et fructum, etc., qui in sequendo Christo positus est.

[6] Deinde cogitavit quod vellet, in hac ratione vitae, id quod praestantius esset, sequi²³. Idem observatur in omnibus a Patribus Societatis, scilicet, quod optima quaeque in paupertate, in obedientia, etc. sequimur ex instituto. Tertio inchoavit facere quod putavit esse optimum, quod eo quidem tempore erat optimum. Cogitavit igitur facere poenitentiam; atque illam poenitentiam cogitabat facere, quae esset severissima²⁴. Primum reliquit vestes suas; consecravit sua arma D. Virgini in Monte Serrato. In nocte Annuntiationis fecit confessionem generalem; audivit missam, communicavit, et induit saccum. Ieiunavit deinde in pane et aqua. Dominico die bibebat parum vini, si dabatur²⁵. Flagellabat se septies

52 variis cogitationibus in marg. || 54 et Christi — affectus in marg., corr. ex dicens || 55 tamen sup. lin. || 57 tandem — etc. sup. lin. || 60-61 ad religionem sup. lin. || 61-62 ut in vita — renuntiaret in marg. superiore || 62 fere sup. lin. || 63 etc. sup. lin. || 64 etc. sup. lin. || 65 in hac ratione vitae sup. lin. || 66 esset prius est | observatur sup. lin., corr. ex fit in || 68 etc. sup. lin. | ex del. suo | prius Tertium || 68-69 inchoavit — tempore in marg. | prius Tertium nunc est facere quod est optimum | 69 erat sup. lin. || 71 esset severissima sup. lin., corr. ex erat optima || 74 saccum del. De comprehenso paupere

²² *Acta P. Ignatii* n. 5-8, p. 370-374.

²³ Cf. *Exh. 1557*, n. 10 (*F. narr.* II, 5), n. 18 (p. 7).

²⁴ Cf. *Exh. 1557*, n. 11, p. 5.

²⁵ *Acta P. Ignatii* n. 16-19, p. 384-390.

quotidie²⁶; septem horas dabat orationi; octavo quoque die communicabat; omnia officia ecclesiastica audiebat²⁷.

[7] Secuta est tentatio duplex. Primo *scrupulorum* de nunquam rite facta confessione, quibus fere adigebatur ad desperationem. *Tandem* cogitavit se non commesturum et bibiturum donec relinquerent eum²⁸; quod fecit ab ultima communione, usque ad sequentem septimanam *per 8 integros dies*. Hic de confessario, etc. Altera tentatio erat spectrum illud daemonicum; vox quod 60 annis esset victurus, etc.²⁹. Unde colligebat esse daemonem, qui solet bene incipere cum consolatione, sed desinit in inobedientiam, superbiam, etc. Hactenus prima hebdomada Exercitiorum, quae est de agenda poenitentia. Sequitur nunc de oratione, contemplatione, consolatione, visionibus, quas habuit. Omnia mysteria *fidei* intellexit, et singula fere vidit.

[8] Hic de sacello [*f. 113r*] D. Pauli ad flumen, ubi fuit supra se levatus, ita ut aperirentur sibi omnia rerum principia³⁰. In quo raptu videtur totius Societatis cognitionem accepisse, quia solebat dicere: «Ego me refero ad Manresam», quando quaerebatur quare hoc aut illud ita institueret³¹. Atque illud donum *dicebat* omnia quae acceperat dona excellere.

[9] Hactenus versatus est quasi in probatione *Exercitiorum*, atque tunc *quidem* temporis conscripsit Exercitia. Nunc sequeba-

78 prius scrupuli || 80 Tandem in marg. || 82 per 8 integros dies in marg. || 88 fidei sup. lin. || 90 ubi del. amissa oratione || 93-94 querebatur ms. || 95 dicebat in marg. || 96 Exercitiorum sup. lin. || 97 quidem sup. lin.

²⁶ In *Exh. 1554*, n. 10 dicit: «cada día tres vezes disciplina»; in *Exh. 1557*, n. 11: «quinque disciplinas quotidie» (*F. narr. II*, 6); in *Apol. ad doct. Paris*: «quinque quotidie» (*F. narr. II*, 65); in *Exh. 3 Conim.* n. 7: «hacia 3 veces cada día disciplina» (p. 64).

²⁷ De hoc spiritu ecclesiastico et liturgico Ignatii cf. *Exh. 2 Compl.* n. 40 et ibi annot. 27.

²⁸ Cf. *Exh. 1554*, n. 10.

²⁹ *Acta P. Ignatii* n. 20-25, p. 390-398. *Acta*, n. 20, dicunt 70 annis, non 60.

³⁰ *Acta* n. 26-30, p. 398-404.

³¹ Cf. *Memoriale* n. 137; *F. narr. I*, 610. Natalis etiam alias alludit ad hanc praecognitionem rationis vitae Societatis in aliquibus. Cf. *Annot. in Examen*, n. 91; *Dialog. II*, n. 8, annot. 57. «Alias vero cum de instituti ratione rogetur, solebat causam referre ad eximiam illam mentis illustrationem, quam ipsi Deus gratificatus est Manresae, de qua alias dixi; quasi illic omnia accepisset a Domino, quasi in spiritu quodam sapientiae architectonico». *Scholia* p. 134-135. Cf. tamen *Dialog. II*, n. 17: «deducebatur quo nesciebat suaviter, nec enim de Ordinis institutione tunc [Lutetiae] cogitabat».

tur ut peregrinaretur, inserviret in nosodochiis, *doceret doctrinam christianam*; et docuit *quidem* doctrinam christianam statim post illustrationem³². *Peregrinatus Hierosolymam*; *vixit in hospitibus et inservivit*. Reversus Hierosolyma, quia non licuit ei ibi manere³³, adiecit animum ad studia. Comperit enim, etiamsi quis magnis donis esset illustratus, tamen ea non fore utilia, nisi haberet *doctrinam adquisitam et versatam in Ecclesia et docendi auctoritatem, nec receptum iri huius doctrinam*³⁴. Venit Barchinonam in Hispaniam citeriorem, ubi studuit *Grammaticae* 2 annos, Complutum *deinde*. Ibi fuit in carcerem coniectus. Hinc Salmanticam venit, et ibi in carcerem coniectus. Semper tamen fuit confirmata eius vita et doctrina³⁵. Sic tentari etiam *solet* qui primum venit ad Societatem. *Venit Lutetiam ad consummanda sua studia, quibus dedit 8 annos*³⁶, quibus *nactus est per Exercitia 9 socios*³⁷. *Hinc Venetias primum, omnes dein Romam*³⁸. *De 3 difficultatibus quas in studiis passus est, quibus providit, etc.*³⁹.

[10] Tria *item* aliquando dixit se desiderare: primum, ut Societas approbaretur; 2, ut probarentur Exercitia a Sede Apostolica; 3, ut ederentur Constitutiones⁴⁰. Lodovicus Gonzales scripsit quas persecutiones passus sit, ex eius ore, cum permotus esset a P. Natali ut, sicut S. Franciscus, ita etiam ipse aliquid suis, loco testamenti, relinqueret⁴¹. Itaque persecutionem passus est non

98-99 doceret — et in marg. || 99 quidem sup. lin. || 100-1 Peregrinatus — inservivit in marg. || 1 licuit corr. ex licebat | ibi sup. lin. || 3 quis magnis sup. lin., corr. ex tot | ea del. sibi || 4-5 doctrinam — huius doctrinam in marg., corr. ex sequentibus in textu: auctoritatem ecclesiasticam, quae acquiritur per gradus promotionem. Item nisi versatus esset in scholasticis studiis se [corr. ex illum] non esse audiendum || 5-6 Barchinonam corr. ex Barcenona || 6 in Hispaniam citeriorem in marg. | Grammaticae sup. lin. || 7 deinde sup. lin. || 9 prius tentatur | tentari del. etiam | solet sup. lin. | prius primo || 10-13 Venit — providit, etc. in marg. || 14 item sup. lin.

³² Cf. *Acta* n. 29, 3^o, p. 402.

³³ *Acta* n. 45, p. 422-424.

³⁴ In eundem sensum cf. *Apolog. ad doct. Paris.* n. 46: *F. narr. II*, 68.

³⁵ *Acta* n. 54-70, p. 434-462.

³⁶ Scilicet incompletos, a 2 februarii 1528 ad mensem martium exeuntem 1535. Cf. *Chronol. vitae S. Ignatii*: MI, *F. narr. I*, 31 *, 33 *.

³⁷ Aliqui post eius egressum Parisiis; cf. *Exhort. 6^a*, n. 38; G. SCHURHAMMER, *Franz Xaver I*, 204-212.

³⁸ *Acta* n. 92 sq., p. 490 sq.

³⁹ Cf. *Exh. 1554*, n. 15; *Exh. 2 Compl.* n. 47-48.

⁴⁰ Cf. NATALIS, *Praefatio ad Acta P. Ignatii*, n. 1 *: *F. narr. I*, 354-355.

⁴¹ Cf. *Ibid.* n. 2 *-4 *, p. 355-363; *Exh. 2 Compl.* n. 35 *.

20 solum in Hispania, sed etiam Lutetiae, Venetiis, Romae. Quibus persecutionibus magis claruit innocentia Societatis. Hic de formula instituti per Contarenum oblata. Item de responso Pontificis: « Spiritus Dei est hic »⁴². Idem patet ex diplomatibus eius et Iulii Pontificis. Hactenus de probatione Patris.

25 [11] Nunc de probatione instituti. Prima probatio instituti fuit, quod Cardinali inimico pluralitatis religionum tradiderit formulam instituti P. Ignatius iussu Pontificis. [*f. 113v*] Hic de 3000 missarum; de mutatione animi Cardinalis⁴³. Secunda probatio, quod non possent admitti nisi 60. Sic ab anno 40 probabatur, 30 usque ad annum 43⁴⁴. Tertia usque ad annum 50, quia nondum habebamus Coadiutores⁴⁵. Plena igitur approbatio anno 50 a Iulio 3 facta est. Ultimo in Concilio Tridentino⁴⁶.

[CAPUT II. — DE FINE ET MEDIIS]

§ I. DE FINE. — 12. *Finis Societatis ad salutem animarum.* — 13. *Perfectio finis ex caritate in Deum.* — 14. *Salus et perfectio proximi quaerenda.*

§ II. DE MEDIIS. — 15-16. *Media sunt ministeria omnia simplicium sacerdotum.* — 17. *Conciones.* — 18. *Lectiones sacrae. Collegia.* — 19. *Quodcumque verbi Dei ministerium.* — 20. *Morituris adesse; confessiones audire; disputare vel scribere contra haereticos.* — 21. *Exercitia spiritualia.* — 22. *Docere doctrinam christianam.* — 23. *Administratio sacramentorum, duorum praecipue.* — 24. *Gratia est ad haec.*

§ III. DE MEDITATIONIBUS VOCATIONEM REPRaesentantibus. — 25-26. *Exercitium Regis.* — 27. *Exercitium de Vexillis.* — 28. *Summa vocationis nostrae oratione dominica comprehenditur.*

27 Hic de *del.* plus

⁴² Vide *Exh. 1554*, n. 27 et ibi annot. 7; *Dialog. II*, n. 27.

⁴³ Cf. *Exh. 1554*, n. 28; *Dialog. II*, n. 29-31.

⁴⁴ Scilicet usque ad bullam PAULI III, *Iniunctum nobis* (14 martii 1544), qua restrictio in admittendis dumtaxat 60 professis sublata est. Relate ad annum 1543 ab Incarnatione Domini, qui est annus 1544 consueto modo numerandi, cf. *Exh. 1544*, n. 32, annot. 22.

⁴⁵ Facultas admittendi coadiutores data est per Breve PAULI III, *Exponi nobis* (5 iunii 1546): MI, *Const. I*, 170-173; quae facultas iterum in Bulla IULII III, *Exposcit debitum*, n. 6 (21 iulii 1550) confirmatur: MI, *Const. I*, 381.

⁴⁶ Cf. verba approbationis in *Exh. 1 Compl.* n. 24 * et ibi annotationes positas. Item *Dialog. II*, n. 38.

[§ I] DE FINE

[12] Breviter: instituta est Societas ad salutem animarum. Col-
ligitur autem primo ex confirmationibus seu diplomatibus¹; 2^o
ex primo capite Examinis²; 3^o ex Constitutionibus³.

[13] Perfectissimus finis est, ut ad charitatem Dei referamus⁵
omnia, sive ad maiorem gloriam Dei⁴. Hoc patet ex omnibus
Constitutionibus. Alii faciunt ad gloriam Dei omnia, sed nos ad
maiorem. Atque est ut flamma quaedam.

[14] Secundus, ut iuvenus proximum, quales quales sint,
ut infideles, haeretici, schismatici, christiani, ut patet ex diplo-
mate. Est enim instituta primo ad fidei defensionem, quae est
diplicillima pars ac prima; 2^o, ad propagationem fidei; 3^o, ut
fideles iuvenus⁵. Non enim instituta est Societas ad utilitatem
nostri, sed potius aliorum; alioqui enim non fuisset instituta.
Nam supficiebant aliae religiones ad perfectionem propriam pro-
movendam. Proinde dicitur in primo capite Examinis: Finis est
non solum saluti et perfectioni propriarum animarum, cum di-
vina gratia vacare, sed cum eadem impense in salutem et perfec-
tionem proximorum incumbere⁶. Ubi per proximum intelligimus
omnes qui possunt ad salutem pertingere. Per perfectionem intel-
ligimus: quicquid ultra praeceptum faciunt et ultra quam obli-
gantur. Hic de peculiari gratia Societatis, quemadmodum et re-
liguae religiones habent suam⁷.

[§ II] DE MEDIIS

[15] Media quibus iuvenus proximos sunt amplissima. Minis-
teria omnia simplicium sacerdotum nostra sunt; neque nobis
conveniunt ex privilegio, sed ex instituto et gratia Societatis, quae
primo locum habuit in P. Ignatio. Oblataque sunt haec media
a P. Ignatio et [*f. 114r*] primis sociis S. Pontifici.

[16] Nostra media non sunt omnia ministeria episcoporum. Nam³⁰

¹ *Regimini militantis*, n. 3; *Exposcit debitum*, n. 3: MI, *Const. I*, 26, 376.

² *Examen* c. 1, n. 2.

³ Passim, praesertim ex parte septima.

⁴ Cf. *Exh. 1554*, n. 156; *Exh. 3 Compl.* n. 67-74.

⁵ *Exposcit debitum*, n. 3: MI, *Const. I*, 376.

⁶ N. 2.

⁷ Cf. *Jer. Nadal* p. 145-148.

sacramentum ordinis et confirmationis non possumus administrare; item eorum iurisdictionem nos non habemus.

[17] Sed officia potiora eorum nostra sunt, ut praedicare verbum Dei; quod est non solum verbum Dei exponere, sed ita etiam, ut simul affectus moveantur audientium, simul terreantur pertinaces et obstinati⁸. Concionator Societatis dicitur esse talis, ut ipsum primo moveat res, deinde ipse moveat alios. Debet esse deditus orationi, spiritui, etc., sicut S. Patres.

[18] Secundum, lectiones sacrae, quae non requirunt illam industriam, sed satis est si plane exponantur. Cuiusmodi sunt, qui non habent donum concionandi. Imo etiam movet saepe, si aperte dicat⁹. Huic ministerio coniunctae sunt lectiones prophanae. Nam initio non erant collegia, in quibus prophana docerentur. Primum enim anno 48 fuit primum collegium factum in Sicilia, Messanum¹⁰. Referuntur autem haec prophana ad sacra. Mens autem fuit P. Ignatii, ut ea occasione instituerentur studiosi in bonis moribus. Ergo per accidens, et quatenus ad pietatem referentur, prophana tractantur.

[19] Tertium, quodcumque verbi Dei ministerium¹¹. Cuiusmodi primo est colloquium spirituale et consuetudo spiritualis. Quae in re plurimum valuit P. Faber, etiam testimonio P. Ignatii¹². Ut concionator multitudini concionatur et seminat, ita confessarii, et illi qui versantur cum hominibus, colligunt. Duo sunt observanda in colloquiis. Primo ut cognoscas illius ingenium, cum quo versaris, ut tanto facilius in eius animum te insinues, ne sis illi gravis aut molestus. Secundo, non statim incipiendum a rebus spiritualibus; sed incipiendum ex re tua et re illius, et redi ad

⁸ Uberius de hoc ministerio concionandi in *Exhort.* 6^a, n. 9-18.

⁹ Cf. *ibid.*, n. 19.

¹⁰ Natalis, ut Rector, missus fuit ad foundationem huius collegii Messanensis mense martio 1548; cf. MI, *Epist.* II, 25-26, 49, 53; EN, II, 3. Hoc collegium evasit prototypum collegiorum Societatis. Anno 1546 in collegio Gandiensi incepit cursus Artium, qui non tantum scholasticis Societatis, sed etiam externis destinabatur. Cf. *Epist. Mixtae* I, 315; ASTRAIN I, 275.

¹¹ *Exposcit debitum*, n. 3; MI, *Const.* I, 376; cf. *Regimini militantis*, n. 3; MI, *Const.* I, 26.

¹² Cf. *Exh.* 4 *Conim.* n. 17, p. 76; S. RODRIGUES, *Comment. de origine et progressu Societatis* n. 4 (*F. narr.* III, 12); GREGORIUS ROSEPHIUS, *Promptuarium dictorum* . . . n. 150 (*ibid.* p. 516).

rem tuam, dicebat P. Ignatius. Sic cum milite de bello loquendum; et pedetentim arripienda occasio, ex iis quae narrat, dicendi de morte. Idem iudicium est de mercatura cum mercatoribus, de agricultura cum rusticis, etc. P. Ignatius, quando vocabatur ad prandium, primo auscultabat, et inde occasionem captabat. Tertio, si videas te nihil proficere cum illo, loqueris de morte, de iudicio, etc.; ut vel convertatur, vel [*f. 114v*] non revertatur amplius¹³. Idem consulebat P. Ignatius novitiis, ut cum amicis, a quibus interpellantur, ita agerent. Si tantum laborem impendant mercatores in congerendis pecuniis, nonne et nos impendemus omnem industriam in inveniendis rationibus pro lucro animarum?

[20] Secundum verbi Dei ministerium est morituris adesse, quod praeclarum et fructuosum est. Tertium audire confessionem et emollire cor peccatoris atque movere per verbum Dei. Nec est difficile habere efficaciam verbi Dei in audiendis confessionibus, quia est ex vi sacramenti quicquid ibi fit. Quartum disputare vel scribere contra haereticos. In hunc finem tam saepe mittuntur nostri cum Legatis¹⁴, theses eduntur et libri.

[21] Quintum exercitia spiritualia tradere, id est, docere homines orare, sicut petebant Apostoli: «Domine, doce nos orare»¹⁵. Illa vero vocamus Exercitia quae P. Ignatius fecit¹⁶, et confirmata sunt a Sede Apostolica¹⁷, Inquisitoribus¹⁸, etc. Quod magnum est privilegium, et rarum in Ecclesia. Ecclesia approbat orationes, quae fiunt in Ecclesia; ita et haec. De Exercitiis dicebat P. Ignatius, quod nullum esset efficacius medium¹⁹. Nam per ea vocavit suos socios²⁰. Romae per Exercitia amicos sibi fecit Socie-

¹³ De dono conversandi cum proximis, quod erat in S. Ignatio, cf. *Memoriale* n. 199, 227, 379; MI, *F. narr.* I, 647, 659, 732; RIBADENEYRA, *Vida* lib. 5, c. 6, 11; *Exhort.* 6^a, n. 24-25; MANAREUS, *Responsio ad Lancicii postulata* n. 20; *F. narr.* III, 432.

¹⁴ Cf. supra, *Exh.* 3 *Compl.* n. 78.

¹⁵ Lc. 11, 1.

¹⁶ Cf. *Exh.* 1554, n. 13.

¹⁷ PAULUS III, *Pastoralis officii*: MI, *Exerc.* p. 216-218; *Instit. S. I.* III, 443-445.

¹⁸ Cf. *Exh.* 1554, n. 16, et de approbatione Fr. Matthaei Ory, Parisiis, *ibid.* annot. 31.

¹⁹ De efficacia Exercitiorum Ignatius dedit litteras Venetiis (16 novembris 1536) ad P. Emmanuelem Miona, sibi olim a confessionibus. MI, *Epist.* I, 111-113.

²⁰ Supra, n. 9, annot. 37.

tas episcopos et cardinales²¹. Multi alii Patres adducti sunt²².
 85 Item totus animus mutatur in Exercitiis, ut saepe homines mirari
 satis non potuerint subitam hominum mutationem. Efficaciam il-
 lam habent quia docent modum praeparandi se ad suscipiendum
 verbum Dei et Evangelium²³; « Poenitentiam agite, appropin-
 quavit enim regnum Dei »²⁴.

90 [22] Sextum docere doctrinam christianam; quia omnia directe
 facimus contra Lutheranos: sicut ergo illi doctrinam diaboli-
 cam adeo diligenter inculcant, ita nos christianam. Tanti fit in
 Societate hoc ministerium, ut adhibeatur in voto solenni²⁵; non
 quod sit quartum votum, sed ne negligatur²⁶. In Hispania tinti-
 nabulo convocantur pueri, et in India, et fit summus fructus²⁷.

100 [23] Septimum administratio sacramentorum, duorum praeci-
 pue. Nam alia 3 possemus administrare, sed non facimus; quia
 malumus hierarchiam ecclesiasticam conservare et iuvare, quam
 impedire. Nam parochi hoc est officium, ut sciat quando sui
 5 sint facti christiani, quando egrediantur mundum [sic] et quando
 matrimonium contrahant. 2^o, non est necessitas tanta, nam fa-
 cile habentur ministri pro [f. 115r] illis sacramentis. Haec duo ad
 interius forum pertinent. Singulis tamen annis debent semel com-
 municare apud parochiam in pascate, et in fine vitae. In necesi-
 5 tate extrema possumus omnia sacramenta ministrare. Item illa duo
 sacramenta potissimum spectant ad finem Societatis: salus pro-
 ximi procurata per confessionem, perfectio per communionem.
 Ex his patet quam apostolica sint ministeria Societatis.

10 Postremo, opera misericordiae, carcerum et xenodochiorum
 visitatio²⁸.

[24] Ad haec media exequenda et amplissimum finem Socie-
 tatis consequendum, dedit Deus amplissimum adiutorium, gratiam
 suam; cui cooperari debemus suaviter.

²¹ Cf. I. IPARRAGUIRRE, *Práctica de los Ejercicios* . . . p. 231-235.

²² Cf. *Exhort.* 6^a n. 38.

²³ Cf. *Exh.* 1554, n. 141-143, 148, 153, 154; *Exhort.* 6^a n. 38-39; EN, IV, 666-670.

²⁴ Cf. Mt. 4, 17; Mc. 1, 15.

²⁵ Cf. formula votorum in *Constit.* p. 5, c. 3, n. 3; cf. *ibid.* n. 6; c. 4, n. 2.

²⁶ Cf. *ibid.*, c. 3, B.

²⁷ Cf. C. GÓMEZ RODELES, *La Compañía de Jesús catequista* (Madrid 1913), praesertim p. 132 sq. et p. 171 sq. pro historia laboris catechistici Societatis in Indiis et in Hispania.

²⁸ *Exposcit debitum*, n. 3: MI, *Const.* I, 376.

§ III] DE EXERCITIIS VEL MEDITATIONIBUS AD NOSTRUM FINEM
 CONDUCENTIBUS ET VOCATIONEM REPRaesentantibus. 15

[25] Sunt duo primaria exercitia: alterum Regis temporalis²⁹,
 alterum Vexillorum³⁰; quibus duobus exercitiis tum vocationem,
 tum executionem † vocationis †³¹ complexus est P. Ignatius.

[26] Prius simili potest intelligi: si rex convocaret omnes subdi-
 tos ad bellum, et subditi conferrent operas suas, quibus polliceret
 20 tur post victoriam se remuneraturum. Ita Christus bellum gessit
 in morte sua adversus daemonem, quem et vicit una cum peccato.
 Nunc persequitur per Ecclesiam reliquias huius belli; ad quod
 omnes vocavit. Nos autem obtulimus, non solum velle nos pro
 nobis pugnare, sed etiam stare in acie, illum sequi, omnia facere
 25 quae possimus. Atque hoc concluditur in votis nostris. Item hoc
 desiderium habent qui nondum voverunt. Item haec est vocatio
 nostra. Sumus enim vocati ad bellum contra omnia quae sunt con-
 traria Deo³². Hic duces ante oculos habere debemus, scilicet
 Christum. Atque id fuit ostensum P. Ignatio, cum Romam profi-
 30 cisceretur. Vidit enim Deum asserere se in servitatem Christi fe-
 rentis crucem, atque dicere: « Ego vobiscum ero », etc.³³. Eadem
 est etiam vocatio nostra, ut serviamus Christo ferenti crucem, non
 in se, sed in Ecclesia³⁴: quia passiones et persecutiones Ecclesiae
 ipse Christus sibi imputat³⁵. 35

[27] Secundum est de Vexillis. Bellum gerimus, incursiones
 faciendae in hostes, etc. Considerabimus daemonem ex [f. 119v] per-
 missionem Dei defendere malos et gerere etiam bellum; qui etiam
 daemones ad se vocat et mittit ad diversas partes orbis, ut adver-
 sentur Deo et promoveant peccatum. Vexillum eius est in Baby-
 lone situm, id est, in infinito errore, confusione, atque adeo in
 inferno. Christi vexillum est Hierosolymis, id est, in visione pacis,
 in coelo, in gloria aeterna, in infinita potentia. Quotidie currendum
 40

²⁹ *Exerc.* n. 91-98.

³⁰ *Exerc.* n. 136-147.

³¹ In ms. legitur « orationis ». Sed mens Natalis satis constat, v. gr., in *Exh.* 3 *Compl.* n. 61: agi de executione vocationis sive instituti.

³² Similes ideae in *Exh.* 5 *Conim.* n. 1-9, p. 78-81; *Exh.* 3 *Compl.* n. 54-58.

³³ De hac visione ad *La Storta*, cuius frequens est mentio apud Natalem, vide *Exh.* 1554, n. 30 et annot. ibi appositae.

³⁴ Similiter in *Exh.* 1554, n. 30.

³⁵ Cf. Act. 9, 4.

nobis est ad vexillum Christi ; quod fit cum facimus obedientiam
 45 et arripimus ab Eo praemium, atque ita obediendo ad finem no-
 strum contendimus ³⁶.

[28] Summa vocationis nostrae oratione dominica comprehen-
 ditur. Primum enim est in vocatione nostra omnia relinquere,
 quod significamus cum dicimus: Pater noster, qui es in coelis. Ergo
 50 meum nihil est hic. 2. Honor Dei. Unde sanctificetur nomen tuum:
 ut omnia fiant ad maiorem gloriam Dei et nominis sui. 3. Adve-
 niat regnum tuum: ut Deus regnet in nobis et proximis. Ubi si-
 gnificatur prior pars finis nostri, quod debeamus incumbere in sa-
 lute[m] et perfectionem propriam et proximi. 4. Fiat voluntas, etc.:
 55 petimus ut perfecte obediamus Deo; item ut fiant epficacia omnia
 media, quae nobis collata sunt ad finem. 5. Panem nostrum, etc.:
 ubi confirmamus paupertatem nostram. Item petimus fructum ex
 sacrificio et sacramento, ut sit epficax in nobis et per nostrum
 ministerium in aliis. 6. Et dimitte, etc.: quaerimus quod quotidie
 60 facimus, scilicet ut examinemus conscientiam nostram, et ut epficax
 sit sacramentum poenitentiae in nobis et aliis. 7. Et ne nos, etc.: ut
 auferatur a nobis omnis passio mala. Item liberari petimus a ten-
 tationibus, praecipue contra castitatem. 8. Sed libera nos a malo:
 a daemone petimus liberari. Item ut ea quae nos perturbant non
 65 impediunt Dei servitium, etc. Amen, scilicet, vere. Omnes sancti
 orant: Amen; et confirmant, si bene oremus ³⁷.

[CAPUT III. — DE CAUSIS AD FINEM CONSEQUENDUM ADIUVANTIBUS]

§ I. VOTA QUAE IUVANT AD HUNC FINEM. — 29. *Finis est caritas, consilia sunt
 media.* — 30. *Cur virtutes, quas Christus consuluit, spectent ad perfectionem.*
 — 31. *Cur vota consiliorum ducant ad perfectionem.* — 32. *In votis est quae-
 dam similitudo ad confirmationem in gratia.* — 33. *Commoda votorum.* —
 34. *Ratio triplex virtutum: laicorum, clericorum, religiosorum.*

§ II. PAUPERAS. — 35. *Consilia Christi de paupertate.* — 36. *S. Ignatius
 illam defendit, externam et internam, scilicet, contra ambitionem. Vota de
 hac re.* — 37. *Omnes habent eundem usum paupertatis, sed varia est de ea
 obligatio in Societate.* — 38-39. *Perfectio paupertatis non accipiendo sti-
 pendia nec eleemosynas pro ministeriis. Exemplum P. Lainez.* — 40. *Usus
 et affectus paupertatis. Exemplum Claudii Jaii.* — 41. *Paupertas in no-*

³⁶ Similes ideae in *Exh. 5 Conim.* n. 10-11, p. 81; *Exh. 3 Compl.* n. 61-66.

³⁷ Hoc fragmentum de oratione dominica edidimus in *Jer. Nadal* p. 163,
 annot. 23. Cf. similem expositionem in *Orat. observ.* (ms.) p. 323-324.

vitiis. — 42. *In scholasticis cum votis.* — 43. *In professis et coadiutoribus
 formatis.* — 44. *Bona collegiorum.*

§ III. CASTITAS. — 45. *Castitas angelica.* — 46. *Gradus in castitate.* — 47-48.
Praesidia ad castitatem.

§ IV. OBOEDIENTIA. — 49. *Laus huius virtutis ex Ignatio et gradus in ea.* —
 50. *Tria principia ad oboedientiam: ex providentia Dei, ex vocatione, ex
 praesentia Christi in superiore.* — 51. *Oboedientia intellectus.* — 52. *Oboe-
 dientia caeca.* — 53. *Oboediendum in omnibus ubi non est peccatum.*

[§ I] VOTA QUAE IUVANT AD HUNC FINEM.

[29] Status religionis constat votis. Non est finis noster casti-
 tas, paupertas et obedientia, sed charitas et eius perfectio, vel
 maior gloria Dei et charitas proximi. Paupertas etc. sunt media. 5
 Sunt diversa haec: votum (quod est obligatio) et virtutes. Pro-
 sunt hae virtutes ad consequendam perfectionem; vota referuntur
 ad virtutes. Primum igitur dicamus de virtutibus.

[30] Virtutes illae spectant ad perfectionem [*f. 116r*] consequen-
 dam, auctoritate Christi, qui consuluit ¹. Iuvant ad amandum Deum
 ex toto corde, ex tota anima, etc. ², perfecte. Nam oportet te 10
 liberum esse ab iis quae impediunt et divertunt animum tuum ³, ut
 habeas libertatem spiritus. Impediunt autem sollicitudo huius
 saeculi, divitiae, parentes, honores, affectus humani. Ex consilio
 Christi et eius gratia ista reiicere potes. Utere itaque paupertate,
 quam ipse suavit. Impedit turbulentia carnis? Consule Christum; 15
 amplectere eius consilio castitatem. Impedit proprietates sensus
 et propriae voluntatis libertas? Da te obedientiae. Iam te nihil
 impedit. Eris enim liber a mundo, a carne et impedimento tui
 ipsius.

[31] Ducunt etiam vota ad perfectionem et ad confirmationem 20
 status religionis, id est, eius status quo quis se profitetur tendere
 ad perfectionem. Tres istae virtutes sunt humanae; obiectum
 est etiam res humana. Si volumus eas consummare, addamus
 quod eas promoveat ad statum excellentiorem, adiungamus vota
 et actum religionis. Facimus enim per vota ut sint illi actus reli- 25
 gionis ⁴, qui antea non erant, et referuntur in Deum. Esto: Socra-

¹ Mt. 19, 12, 21.

² Cf. Mt. 22, 37.

³ Cf. S. THOMAS, 2. 2, q. 186, a. 3, c.; a. 4, c.

⁴ Cf. S. THOMAS, 2. 2, q. 88, a. 6, c. 1^o.

tes pauper fuit, quia reliquit omnia quae possidebat et exspectabat; sed non fuit virtutis consummatio, quia adhuc aliquid habebat, nempe, quod posset habere. Illam facultatem non dimisit.

30 Per votum fit ut facultatem relinquamus⁵. Imperfecta est ergo paupertas, sine hac accessione. Simile iudicium est de castitate et obedientia, quia praeter actum relinquitur etiam facultas habendi.

[32] Dicimus confirmatos fuisse Apostolos in bono ut non peccarent, id est, ut Dominus non amplius concurreret ad actum peccati. Per vota non consequimur hanc confirmationem, quia adhuc possumus peccare; sed quadam similitudine et spe videmur ad eam confirmationem accedere. Quando voveo, obligo me huic gratiae et vocationi, quod nullo pacto eam deserere velim, propter amorem Dei⁶. An igitur deseret me gratia? Virtus illa dat mihi iam animum, quod possim perseverare. Ligo igitur me, ne deserat me gratia illa. Haec obstrictio ad illam gratiam facit saepissime ut homo non amplius peccet mortaliter.

[33] Utilitas votorum sic intelligitur. Cogitetur homo malus, qui ita se obstrinxerit [f. 116v] vitiis et cupiditatibus, ut videatur sibi non aliter posse quam peccare. Iste derelinquitur a Deo. Ita contra qui sic vult esse coniunctus cum Deo, ut omnia ei det; huic nihil videbitur esse difficile, nihil non facile in servitio Dei. Cum obedimus, cum casti sumus, etc., levatur mens nostra supra nos. 50 Qui non habent vota, in hoc debent gaudere quod habeant hoc propositum.

[34] Ratio virtutum est triplex, sicut est triplex status in Ecclesia; laicorum, clericorum, religiosorum. Omnes illi status debent exercere virtutes; sed in uno districtior requiritur observatio virtutum, quam in alio. Religiosi utuntur virtutibus districtius, quia ex vocatione et proposito suo debent implere perfectionem; maxime tamen Societatis. In aliis religionibus sunt aliae et aliae virtutum proprietates. Habemus nos obedientiam, habent et illi; sed peculiare nescio quid habet obedientia Societatis, propter singularem gratiam vocationis, finem peculiarem, institutionem peculiarem⁷.

⁵ Cf. *ibid.* a. 6, c. 2^o; S. ANSELMUS, *De similit.* c. 84: ML 159, 655.

⁶ Cf. S. THOMAS, 2. 2, q. 88, a. 6, c. 3^o.

⁷ Cf. *Exh. 1557*, n. 7: *F. narr.* II, 4; *Jer. Nadal* p. 491; S. IGNATIUS, *Epist. de oboedientia ad socios Lusitaniae*, n. 2: MI, *Epist.* IV, 671.

[§ II] PAUPERTAS

[35] P. Ignatius non tantum laudavit eam in Constitutionibus, sed etiam defendit, propugnavit semper⁸. Christus consuluit relinquere omnia⁹, etc., spiritu. « Beati pauperes spiritu »¹⁰, Christi scilicet, qui dixit: « Vade, vende omnia »¹¹. Ita laudat, ut substituat regnum coelorum, omnia habere, pro nihil habere. Potest, et vult, et promittit; ut intelligamus res has esse nihil. Vult nos vivere in coelestibus et ut angelos. « Ecce nos reliquimus, aiunt illi, omnia »¹², quia animum omnia habendi [reliquerunt]. 65 70

[36] Pater Ignatius vocat paupertatem matrem religiosorum¹³, quia generat religionem. Unde B. Dionysius Areopagita tantopere commendat renunciationem¹⁴. Inde scilicet augmentum perfectionis continuae. Item vocat munitionem et propugnaculum religionis¹⁵. Ideo cavendum, inquit, ne debilitetur per relaxationes vel interpretationes¹⁶. Unde voluit edi votum de non consentiendo in relaxatione paupertatis, nisi arctiorem velit reddere¹⁷. Imo esset peccatum mortale, si quis vellet ea de re tractare in congregatione generali, quia est contra votum. Est praeterea praeclusa ianua ambitioni. [f. 116 bis r] Vovent enim se non recepturos dignitatem, nisi cogantur sub poena peccati¹⁸ mortalis. Item non acturos ut promoveantur ad aliquem gradum in Societate¹⁹. Est ista paupertas interna, scilicet humilitas. Utraque igitur paupertas munita est in Societate. 75 80

[37] Est una in omnibus, quoad exercitium, paupertas Societatis. 85 Qui vult probari, vivet sub obedientia Societatis; atque illa in hoc

⁸ *Constit.* p. 3, c. 1, n. 25, V; p. 6, c. 2, n. 1; p. 10, n. 5; cf. *Examen* c. 1, n. 3; c. 4, n. 1, 2.

⁹ Mt. 19, 21. 27; Mc. 10, 29.

¹⁰ Mt. 5, 3.

¹¹ Mt. 19, 21.

¹² Mt. 19, 27.

¹³ Cf. *Constit.* p. 3, c. 1, n. 25.

¹⁴ Cf. *De eccles. hierar.* c. 6: MG 3, 533; *Exh. 9 Conim.* n. 1, p. 104; *Exh. 7 Compl.* n. 141.

¹⁵ *Constit.* p. 10, n. 5.

¹⁶ *Constit.* p. 6, c. 2, n. 1.

¹⁷ *Ibid.*

¹⁸ *Constit.* p. 10, n. 6; *Congreg. gener.* 1^a, decret. 102: *Instit. S. I.* II, 180.

¹⁹ *Constit.* p. 10, n. 6; *Congreg. gener.* 1^a, decret. 102: *Instit. S. I.* II, 180.

consistit, ut omnes habeant eundem usum paupertatis: ut unus dormit, edit, ita et alius; nisi propter necessitatem, quae aestimatur a Societate et superiore. Varia interim est obligatio, in diversis

90 classibus Societatis ²⁰.

[38] Vide perfectionem paupertatis nostrae. Qui ministrant spiritualia, possunt capere temporalia 3 modis. Primo, habentes rationem spiritualium; et est simonia. Secundo, honeste, ut vivant ex altari ²¹, idque sine contractu et omni specie simoniae. Sic pa-

95 rocho debentur temporalia. Gratis ipse ministrat, et interim illi tenentur subditi ministrare temporalia. 3^o, etiam honeste, dum scilicet accipiunt nomine eleemosynae; ut faciunt franciscani et religiosi. Societas, ut tendat ad perfectionem paupertatis, nullo istorum modorum utitur; sicut S. Paulus qui dicebat: « Absit a

100 me ut gloriam meam quis evacuet » ²². Ideo hoc voluit P. Ignatius, quia pertinet ad gloriam Dei maiorem, item ad maiorem aedificationem proximi, et ob libertatem spiritualem omnibus inser-
viendi ²³.

[39] Collegia instituta, ut vivant simpliciter ex eleemosynis

5 perpetuis ²⁴. Professi non habent nisi stipem quotidianam ²⁵, nec possunt pro stipendio quicquam nec pro eleemosyna accipere ²⁶. Sed aliud est accipere eleemosynam simpliciter, aliud ratione ministerii. Ut P. Laynes, cum fuisset concionatus Florentiae per totam quadragesimam, noluit pecuniam quae illi dabatur accipere,

10 quia referebatur ad ministerium. Accipiantur eleemosynae simpliciter, non quatenus referuntur ad ministerium et operationes nostras.

[40] Huc pertinet quod non debeat haberi scrinium clausum,

87 eundem *sup. lin.*

²⁰ Cf. *Exh. 13 Conim.* n. 4-12, p. 140-144; *Exh. 9 Compl.* n. 185, 188; *Exh. 10 Compl.* n. 189; *Dial. II*, n. 71, 76-81.

²¹ Cf. 1 Cor. 9, 13.

²² Cf. 1 Cor. 9, 15.

²³ De tota hac quaestione gratuitatis ministeriorum, uberius loquitur in *Annot. in Examen*, n. 42-45, 176-183, 191-195; *Exh. 13 Conim.* n. 16-17; *Exh. 9 Compl.* n. 186; *Dialog. II*, n. 82

²⁴ *Exposcit debitum*, n. 5: *MI, Const. I*, 379-380; *Examen* c. 1, n. 4; *Constit.* p. 4, c. 2, n. 5; p. 6, c. 2, A.

²⁵ Cf. *Regimini militantis*, n. 6: *MI, Const. I*, 29; *Exposcit debitum*, n. 5: *MI, Const. I*, 379; *Examen* c. 1, n. 3; *Constit.* p. 6, c. 2, E.

²⁶ *Examen* c. 1, n. 3; *Constit.* p. 6, c. 2, n. 7, G; p. 10, n. 5. Cf. *MI, Const. II*, 204, annot. 8.

aut ianua clausa ²⁷, id est, nihil tanquam proprium habendum ²⁸. Ap-
fectus notatur. Exemplum de S. Gregorio, qui non erat [*f. 116 bis v*] ¹⁵
tantum apfectus ad omnes illas divitias, quantum religiosus qui-
dam ad felem ²⁹. Apfectus noster figendus in bona spiritualia et
Deum. Item debemus desiderare paupertatis effectus ³⁰, et gau-
dere in vestibus detritis, etc.; ut ostendamus nos non apfici ad
ista, etc.; ut abhorreamus a vana gloria et ambitione, et amemus ²⁰
esse viles et abiecti. Vestis Christi, inquit P. Ignatius P. Natali,
est quod habetur in regula de amore contemptus ³¹. « Vidimus eum
despectum et novissimum virorum » ³². Sit nobis gratissima cogi-
tatio humilitas Christi. « Discite a me, quia mitis sum et humilis
corde » ³³. Claudius Jaius, petens eleemosynam, accepit aureum ²⁵
coronatum; quem ubi, posteaquam discessit, vidisset, reversus est
et restituit homini, quia putabat eum opinione falsum; sed ille
dixit: se tantum voluisse dare.

[41] Novitiorum paupertas, quoad usum et exercitium, eadem
est cum paupertate professorum. Nullam habet novitius obliga- ³⁰
tionem voti, sed tantum propositum habet et voluntatem obser-
vandi ea omnia. Unde etiam meretur poenitentias, si aliquid faci-
at contra paupertatem. Interim tamen habet aliquam obliga-
tionem, videlicet de bonis distribuendis aut disponendis, quando-
cumque post annum iubetur a superiore ³⁴. Interim distributio ita ³⁵
fit, ut quod melius est in ea distributione fiat: quia nihil aliud
potest ei praecipere superior, quam ut det pauperibus. Si velit
relinquere amicis, interponit se Societas, et praecipit illi ut non det
illis nisi sint pauperes ³⁵.

[42] Paupertas vero eorum qui vota scholasticorum fecerunt, ⁴⁰
ea est quod non possint illa bona nisi pauperibus distribuere, et

24 prius humilitatis.

²⁷ Cf. *Constit.* p. 4, c. 10, n. 5, D.

²⁸ *Constit.* p. 3, c. 1, n. 7.

²⁹ Cf. IOANNES DIACONUS, *Sancti Gregorii Magni vita*, lib. 1, n. 47: ML 75, 82-83; S. GREGORIUS M., *Moral. in 1 Iob*, lib. 1, c. 25 (rec. 10). n. 34: ML 75, 543 AB.

³⁰ Cf. *Constit.* p. 3, c. 1, n. 25.

³¹ *Examen* c. 4, n. 44-45; *Reg. Summ.* (MI, *Reg.* p. 548). Cf. *Exh. 9 Conim.* n. 15, p. 108-109.

³² Isa. 53, 3.

³³ Mt. 11, 29.

³⁴ *Examen* c. 4, n. 2; *Constit.* p. 3, c. 1, n. 7, 25.

³⁵ Cf. *Examen* c. 4, n. 2-3.

nisi quando vult superior³⁶. Interim non est necesse ut careant possessione. Retinent enim ut dent pauperibus; et possident, donec fiant professi³⁷. Nam vult Societas ut, si contingat eum dimitti
 45 a Societate, non sit destitutus. Sic scholasticus potest tenere beneficia³⁸.

[43] Nihil autem potest possidere coadiutor formatus aut professor, neque in communi neque in particulari³⁹.

[44] Bona collegii sunt Societatis tantum; item bona domus probationis sunt totius Societatis⁴⁰, et gubernantur a Generali Praeposito. Unde [f. 117r] particularis Provincialis aut Rector nihil de illis potest statuere sine commissione Generalis. Rectores sunt tamen administratores, procuratores, gubernatores.

Principium religionis et virtutis, ut finem faciam, est paupertas.

55 [§ III] CASTITAS

[45] De castitate brevissime, sed exactissime et sapientissime loquitur P. Ignatius; nempe quod puritatem angelorum imitari debeamus mente et corpore⁴¹. P. Laynes in concione cum declararet quid esset castitas, castitas, inquit, est virtus et vis quaedam interior, qua fit ut quas habemus duas partes, mentem et carnem, ut, inquam, haec ne misceantur. Igitur dum castigatur sensualitas ut non moveat mentem, castitas est. Volunt enim affectus carnis mentem corrumpere. Mens autem est capax Dei et gratiae divinae; unde, cum videt se impelli a carne, transferat se ad
 65 divina. Angeli non habent sensualitatem nec possunt habere aut moveri passionibus. Illi enim haec habent natura, nos gratia consequimur.

[46] Gradus castitatis isti sunt. Primus, si quis ita sollicitetur aut eius mens a passione eiusmodi, ut peccet venialiter, estque
 70 infirma castitas; quia non consentit, tamen nonnihil laeditur mens, ita ut defectetur; sed superatur per orationem, etc. Secundus, quando insurgunt passiones, sed non laedunt mentem. Tertius,

³⁶ Cf. *Examen* c. 4, n. 2-3; *Constit.* p. 3, c. 1, n. 7, 25.

³⁷ *Constit.* p. 4, c. 4, E; p. 6, c. 2, H.

³⁸ Cf. *Examen* c. 4, n. 5.

³⁹ Cf. supra, in n. 39, annot. 25.

⁴⁰ De hac sententia Natalis, saepe repetita, de Societate in communi ut subiecto proprietatis bonorum, vide *Exh. 13 Conim.* n. 9, p. 142; *Exh. 10 Compl.* n. 190; *Dialog. II*, n. 78.

⁴¹ *Constit.* p. 6, c. 1, n. 1.

quando ne insurgunt quidem, non oblata occasione. Quartus, quando nihil insurgit perturbationis etiamsi turpia legat, audiat, videat. Huc contendendum est.

[47] Praesidia ad castitatem comparandam, confirmandam et consummandam sunt: Primo, animadvertere debemus qua ex parte laboremus, fere enim nullus est qui non laboret aliquo naturae vitio; atque hoc videre etiam hac in re. 2^o, an habeamus aliquam consuetudinem; cui renitendum est per exercitia spiritus
 80 et alia media, ut consequamur aliquam pacem et tranquillitatem in hac parte [f. 117v] per continuam pugnam. Consulamus nostros confessarios hac in re et superiores. 3^o, habeamus arma parata contra tentationes huius vitii. Neque enim pugnandum est contra eam passionem, ne ex nobis resistere videamur. Avertens igitur animu
 85 tuum a tali cogitatione, ad Christum, ad B. Virginem vel Angelum vel patronum converte, pete auxilium, et prorsus nihil cures, etiamsi te oppugnet. Si abit passio, age gratias. Si perseverat, vehementem adhibe cogitationem circa passionem Christi, vel infernum, etc., quod te alias permovit. Deinde si nec hoc
 90 iuvat, adhibe aliquid quod affligat corpus, ad superiorem, et confitere illi, non in hoc genere tantum, sed in quavis alia perturbatione⁴². Ita quidam volens simili de causa accedere P. Ignatium, mox ubi vidit Patrem, abiit tentatio. Summa. Utere illis locis Scripturae: «Non quod intrat in os coinquinat animam»⁴³;
 95 item: «Spiritualis homo omnia diiudicat»⁴⁴. Sic daemon fugit, et eius debilitantur tentationes, nec facile rursus audet accedere.

[48] Haec virtus est nobis necessaria ad iuvandum proximum, ad versandum cum hominibus, et extra confessionem et in confessione
 100 45. Appositissimum videtur ut, quando egemus auxilio, invoceamus Angelum custodem, et omnes angelos, ut nos iuvent ad sui imitationem hac in re. Constamus spiritu et corpore. Corpus non potest peccare et, nisi accedat spiritus, non est peccatum. Sed tamen male facit corpus, quod sollicitat et inclinat ad peccatum. Unde optimum est carni aliquid detrahere et eam affligere. Alius
 5 modus est, si compescamus mentem, dicentes illi: contemplare

⁴² Haec similiter praesidia ad castitatem inveniuntur in *Exh. 13 Conim.* n. 16, p. 145. De toto argumento castitatis cf. etiam *Exh. 10 Compl.* n. 194-202; *Dialog. II*, n. 83.

⁴³ Mt. 15, 11.

⁴⁴ Cf. 1 Cor. 2, 15. Hi duo ultimi loci S. Scripturae pariter indicantur in *Exh. 13 Conim.* n. 17, p. 145-146.

⁴⁵ Cf. *Exh. 13 Conim.* n. 15, p. 144.

coelestia, considera spiritualia, virtutes, infernum, quo demergeris, si consentias. Optima igitur erit castitas, si utraque pars se contineat in officio. Mens tunc est foecunda, cum corpus non est
10 foecundum.

[§ IV] OBEDIENTIA

[49] Obedientia est id per quod derivatur gratia peculiaris Societatis [f. 118r] in omnia membra ⁴⁶. Unde, quem intelligebat P. Ignatius esse obedientem, hunc dicebat esse bonum, et contra dicendum de inobediente ⁴⁷. Ex obedientia sentitur magna consolatio et confortatio animi, etc. Quod optimum est in obedientia, id sequi debemus, nempe 3 potentiis obedire, potentia executiva, voluntate et intellectu. Atque illa est plena obedientia: quando videlicet exequimur, libenter facimus, et probamus sententiam superioris nostri ⁴⁸.
20

[50] Nota hic principia 3 ad obedientiae instinctum. Primum capitur ex providentia Dei, secundum ex vocatione nostra, tertium ex praesentia Christi in superiore ⁴⁹. Providentia Dei est qua Deus ad finem, per media quae disposuit, deducit creaturam suam. Et Deus in dispositione sua non fallitur ⁵⁰.
25

Vocatio nostra, ut diximus, est a Deo; quia, praeterquam quod Ecclesia universalis et Pontifex approbaverit, etiam Spiritu ducebatur P. Ignatius, cui obtemperabat. Imo et in modo vocationis hoc declarari potest. Nam habuimus aliquem instinctum quo ducebamur ad Societatem. Atque primum probas; ergo subiicis intellectum tuum illi vocationi. Deum vis sequi: hinc est 2^a pars obedientiae. 3^o efficaciter petis: hinc executio. Igitur nunquam venisses ad Societatem, nisi adhibuisses 3 partes obedientiae. Praeterea
30

7 quo prius quod

⁴⁶ Idem in *Exh. 10 Conim* n. 21, p. 118. De toto argumento oboedientiae cf. etiam, praeter *Exh. 16-17 Conim.*, *Exh. 11 Compl.* n. 203-221; *Dialog. II*, n. 84-89; *De virtute oboedientiae* (Monum. 7).

⁴⁷ Quanti S. Ignatius faceret hanc virtutem constat ex *Memoriale* n. 46, 52 sq. 337, 392; *MI, F. narr.* I, 554, 560, 717, 735; et ex *Epist. ad socios Lusitaniae*, praesertim n. 2: *MI, Epist.* VI, 670-671.

⁴⁸ De his tribus gradibus oboedientiae cf. S. IGNATIUS, *Epist. de oboed. ad socios Lusitaniae*, n. 5 sq.: *MI, Epist.* IV, 672 sq.

⁴⁹ Similiter haec tria principia ad oboedientiam in *Exh. 16 Conim.* n. 5-8, p. 166-167.

⁵⁰ Cf. orationem liturgicam in Dominica VII post Pentecosten.

cupis recipi in consortium huius gratiae, quia probas hoc institutum; demum vis exequi; 3^o exequeris. Ergo vocatione tua profiteris te velle 3 illas partes observare.
35

Tertium principium sumebatur ex praesentia Christi in superiore. Non enim obedis, ut homini; nam alioqui non est quod relinquas parentes, et nihil est quod obedis. Ex vocatione habemus, obediendum Christo per medium. Nam vocat et mittit te in Societatem; ergo vult te per Societatem gubernari. Ergo obedis Deo in hoc homine; unde debes considerare Deum in hoc homine. Atque inde fiet ut nihil remittas in obedientia. Ex istis igitur principiiis confirmatur [f. 118v] ratio obedientiae nostrae.
40

[51] De obedientia intellectus aliquid dicamus. Quod possit intellectus obedire, patet in fide catholica ⁵¹. Nam intellectus potest persuaderi autoritate Ecclesiae et fide, etiamsi non sit comperitum. Si potest persuaderi intellectus, potest etiam obedire. Huius partis necessitas ex eo patet, quia vel laudo quod consulit superior vel vitupero. Si laudo, obedio; si improbo, non obedio superioris iudicio, sed meo, atque tunc obedis tibi. Ex quo patet quod intellectus semper obediatur, si non Deo in superiore, saltem sibi ipsi et suo iudicio. Si vis vitare discordiam in mente, vita inobedientiam intellectus, et consequeris pacem et tranquillitatem in anima. Debilitatur obedientia voluntatis, per inobedientiam intellectus ⁵².
50

[52] Caeca debet esse obedientia ⁵³; quo venit per caecitatem intellectus. Comparatur haec caeca obedientia, quando nos ita comparamus ut dicamus nos non posse aut velle videre impedimenta, cum possemus infirmare. Quae caecitas aperit lumen intellectus nostri. Sicut in sublimi contemplatione fit, quando per abstractionem rerum humanarum ad Deum contemplandum elucet quaedam caligo; in qua caligine elucet lumen divinum, in quo videant Deum ⁵⁴.
60

[53] In Societate non habemus eam obedientiam ut in aliquibus

38 homini] *ioi in abbrev. ms.*

⁵¹ Analogiam inter fidem et oboedientiam considerat etiam in *Exh. 16 Conim.* n. 15, p. 169, etc.

⁵² Cf. *Exh. 16 Conim.* n. 11, p. 168; S. IGNATIUS, *Epist. de oboed.* n. 16-17: *MI, Epist.* IV, 676-677.

⁵³ *Constit.* p. 6, c. 1, n. 1.

⁵⁴ Cf. PS. DIONYSIUS, *Myst. Theol.* c. 1 § I; *MG* 3, 998-999; *Exh. 16 Conim.* n. 16-17, p. 170.

65 praeceptis obediamus tantum, sed in omnibus⁵⁵. Illa est enim perfectior obedientia et spectatur ex fine nostro, quo dignius id quod est melius.

In omnibus igitur rebus obediendum; sed quae cadunt sub obedientiam, id est, quae non sunt peccata⁵⁶. Unde quidam dicebat
70 Romae: « Si mihi diceret superior ut aperto ore tanquam fatuus irem ad forum toto die, libenter id susciperem ». Non est necesse hic addere: « ubi non est peccatum »; nisi propter tentationes aliorum.

Ut intelligas quae possint praecipii, nota multiplex esse impossibile. Impossibile dicitur. . . .

⁵⁵ Cf. *Constit.* p. 3, c. 1, n. 23; p. 6, c. 1, n. 1; *Exh. 17 Conim.* n. 10 p. 174.

⁵⁶ *Ibid.*